Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



lxxxxvi

246

super oculos: et lauui et uideo. Dicebant ergo pharisaei
quidam. Non est hic homo a deo: qui sabbatum non
custodit. Alii dicebant. Quomodo potest homo peccator
hec signa facere? Et scisma erat inter eos. Dicunt ergo
cecho iterum. Tu quid dicis de eo. qui aperuit oculos tuos.
Ille autem dixit quia propheta est. Non crediderunt ergo iudei
de illo quia cecus fuisset et uidisset: donec uocauerunt parentes
eius qui uiderat et interrogauerunt eos dicentes. Hic est filius
uester quem uos dicitis quia cecus natus est. Quomodo ergo
nunc uidet? Responderunt eis parentes eius. et dixerunt.
Scimus quia hic est filius noster qui cecus natus est: quo
modo autem nunc uideat nescimus aut quis eius aperuit
oculos nos nescimus. ipsum interrogate etatem habet.
ipse de se loquatur. Hec dixerunt parentes eius. qui timebant iudeos. Iam enim conspiraerant iudei: ut si quis
eum confiteretur christum: extra synagogam fiet. Propterea par
entes eius dixerunt. quia etatem habet ipsum interrogate. Vocaverunt ergo iterum hominem qui fuerat cecus: et dixerunt
ei. Da gloriam deo. Nos scimus quia hic homo peccator est.
Dixit ergo ille si peccator est nescio. unum scio quia cum
cecus essem modo uideo. Dixerunt ergo illi. Quid
fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis.
Dixi uobis iam et audistis. Quid iterum uultis au
dire? Numquid et uos uultis discipuli eius fieri? Maledixerunt ei et dixerunt. Tu discipulus illius sis: nos
autem moysi discipuli sumus. Nos scimus quia moysi
locutus est deus. hunc autem nescimus unde sit. Re
spondit ille homo et dixit eis. Inhac enim mirabile est.
quia uos nescitis unde sit: et aperuit oculos meos